

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (16)

4.5. DE EVENTIBUS DOMESTICIS

4.5.1. De capitulis generalibus in initio temporis abbatialis

4.5.1.1. De secundo capitulo generali anni 1906ⁱ deque quaestione «Appendicis Missionis»

Postquam abbas Norbertus Weber ex itinere suo Africano revertit, opportunum atque necessarium erat, ut iterum capitulum generale institueretur. Nam de quaestione non ita facili denuo deliberandum erat, quomodo vita communis et in patriā et in regione missionariā esset ordinanda. Itaque permissione Vaticanā de participibus acceptā¹ secundum capitulum generale ab die 3^o m. Apr. a. 1906^o usque ad diem 2^{um} m. Maii a. 1906^o in monasterio Ottiliensi locum habebat.² Convēnērunt ergo ad consultationes instituendas imprimis superiores Congregationis, id est abbas Norbertus Weber, qui etiam superior generalis Congregationis erat, episcopus Thomas Spreiter Vicarius Apostolicus,³ P. Placidus Vogel Prior monasterii Sancti Ludovici, P. Coeles-

¹ Cfr epistula Congregationis de Propaganda Fide die 29 m. Ian. a. 1906 ad Norbertum Weber data (ASO, A.2.1.1).

² De secundo capitulo generali cfr ex. gr. Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, pp. 153 sqq.; Johannes MAHR: «Sein Reich ist zunächst auf dieser Welt». Erzabt Norbert Weber als Organisator benediktinischer Missionsarbeit. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, pp. 120 sq.; Viktor DAMMERTZ: Die Leitgedanken bei der Redaktion der Konstitutionen unserer Kongregation. In: Frumentius RENNER: Der fünfarmige Leuchter. I. St. Ottilien ²1979, pp. 359 sqq.; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser. Missionsbenediktiner in Ostasien. I. St. Ottilien 2009, pp. 58 sqq. - Capitula generalia, quae tempore Norberti Weber instituebantur, solum commemorant Frumentius RENNER: Mutterabtei Sankt Ottilien und Entfaltung der Kongregation. In: Leuchter II (²1992), p. 34; Suso BRECHTER: Mönch und Missionar. Erzabt Norbert Weber OSB zum Gedächtnis. In: Katholische Missionen 75, 1956, p. 114; Chrysostomus SCHMID: Erzabt Weber. In: Benediktinische Monatsschrift 32, 1956, p. 220 [Cfr Chrysostomus SCHMID: Ansprache bei dem Trauergottesdienst für den am 3. April 1956 in Litembo, Ostafrika, heimgegangenen Hochwürdigsten Herrn Dr. h.c. Norbert Weber, freiresignierten Erzabtes von St. Ottilien, p. 3 (ASO, A.1.8.1)].

³ Utile erat Thomam Spreiter, qui decreto Vaticano die 13^o m. Mart. a. 1906^o dato successor episcopi Cassiani Spiss in Africā interfecti redditus est, eodem tempore in monasterio Ottiliensi versatum esse. Hunc in modum iam novo munere fungens statim capitulum generale participare potuit. Ceterum idem inter ipsum capitulum generale

tinus Maier Prior Swickersperchiensis⁴ atque P. Martinus Malter Prior Ottiliensis, quibus omnibus suffragia ferre licuit, et praeterea seniores monasterii Ottiliensis atque delegatus missionariorum.⁵

Participibus autem huius capituli generalis praesertim in duo puncta principalia erat incumbendum, nempe Constitutiones, quae anno 1897^o exaratae erant,⁶ retractandae erant et «Appendix Missionis», quae dicitur, melioranda erat. Abbas vero ea, quae in Africano itinere visitationis perceperat, expertus erat deliberaveratque, ad consultationes capituli generalis ditandas adhibuit.⁷

Tamen etiam de aliis quaestionibus agebatur. Magni autem momenti hōc in conexū erat decretum sextum decimum, quo progressus Congregationis respicitur.⁸ Ibīdem enim legitur decreta Romana ad Congregationem spectantia, principia Ordinis Benedictini atque Ottilienses condiciones praesentes postulare, ut monasteria, quae partes Congregationis Ottiliensis sunt, sui iuris sint. Praeterea dictum est omnino necessarium esse, ut plures novitiatūs instituerentur, cum illi, qui frequenter monasterium intrabant, optimā eruditione monasticā indigerent. Ex his deliberationibus sequebatur rogatio, quā superior generalis Romae peteret, ut monasteriales domūs filiae Sancti Ludovici atque Swickersperchiensis quam celerrime prioratūs canonice erectos redderentur.⁹ Tale autem propositum erat prorsus id, quod abbas Norbertus Weber ipse voluerat, cum singula Congregationis monasteria sui iuris esse eius scopus esset.

Praeterea participes capituli generalis consultationes habebant de fratrum conversorum eruditione, quae ad munera opificum, sed etiam ad docentiam

Kalendis Maiis a. 1906ⁱ sollemnitate episcopus consecratus est. - *Cfr* supra cap. 4.3.3.3.

⁴ Swickersperchium: *Schweiklberg*.

⁵ Godfrey SIEBER (1992), p. 153 praeterea participes enumerat P.rem Dominicum Enshoff subpriorem Ottiliensem, P.rem Paulum Sauter, P.rem Clementem Küster, P.rem Augustinum Mayer seniores Ottilienses, P.rem Leonem Lang delegatum missionariorum.

⁶ De his Constitutionibus *cfr* supra cap. 3.3.3.1.

⁷ Godfrey SIEBER (1992), p. 154 scribit documentis huius capituli generalis manifeste monstrari cogitationes ideasque Norberti Weber, quae deinde iterum inveniuntur in libello, c.t. «Euntes in mundum universum» (1908). - De hōc librō *cfr* supra cap. 4.4.1.

⁸ *Cfr* Dekrete des zweiten Generalkapitels der Congregation von St. Ottilien O.S.B. für ausländische Missionen (1906), D. XIV, pp. 10 sqq. (ASO, K.3.1).

⁹ De ipsā re *cfr* infra cap. 4.5.2.1.

in elementariis scholis missionariis spectabant.¹⁰ Porro suadebatur, ut Patres missionarii statalem facultatem in scholis elementariis docendi sibi acquirerent, ut Ottilianae scholae missionariae competitionem aequalem cum scholis statalibus in coloniā institutis suscipere possent.¹¹ Quod quaestio scholaris, etiam quod attinet ad monasteriales condiciones patriae, semper erat magni momenti, apparet quōque ex capituli decreto, quo de gymnasio, de officiis eius rectoris, de studio philosophiae et de loco, quo clerici erudirentur, agebatur.¹² Specialiter autem deliberabatur de quaestione, quomodo iuvenes virique acquiri possent, qui et monasterium intrare et munus missionarium suscipere vellent.¹³ Quā in re praesertim de variis generibus praeconiorum symbolisque in periodicis missionariis divulgandis cogitabatur.

Sed - uti iam commemoratum est - unum ex punctis principalibus capituli generalis erant Constitutiones, quae nondum in formā definitive approbatā exstabant. Effectus autem consultationum ad hanc quaestionem spectantium erat in eo, quod participes capituli ab superiore generali petiverunt, ut īdem Constitutiones Congregationis formā abbreviatā, quae «magis indolem libri legum» haberent, exararet et hunc textum proximo capitulo generali ad redactionem definitivam atque ad decernendum praberet.¹⁴ Causa huius propositi atque rogationis verisimiliter erat in eo, quod Vaticana Congregatio Episcoporum et Regularium anno 1901^o normas ediderat, quae ad Constitutiones monasteriorum redigendas spectabant et quibus earum forma sobria et ad meras leges spectans praescribatur.¹⁵ Ottiliani autem has

¹⁰ Cfr Dekrete des zweiten Generalkapitels (1906), D. I, pp. 1 sq. (ASO, K.3.1).

¹¹ Cfr Dekrete des zweiten Generalkapitels (1906), D. XII, pp. 6 sq. (ASO, K.3.1).

¹² Cfr Dekrete des zweiten Generalkapitels (1906), D. XIII, pp. 7 sqq. (ASO, K.3.1).

¹³ Cfr Dekrete des zweiten Generalkapitels (1906), D. III, pp. 3 sq. (ASO, K.3.1).

¹⁴ Cfr Dekrete des zweiten Generalkapitels (1906), D. I, pp. 1 sq. (ASO, K.3.1). - Decernebatur praeterea, ut ille textus minimum semianno ante proximum capitulum generale participibus futuris traderetur.

¹⁵ Cfr Normae, secundum quas S. Congregatio Episcoporum et Regularium procedere solet in approbandis novis Institutis votorum simplicium. In: Ladislaus RAVASI: De Regulis et Constitutionibus Religiosorum. Romae / Tornaci / Parisiis 1958, pp. 188 sqq., spec. pp. 193 sq.: «§ IV. De excludendis a textu Constitutionum. 26. Non admittuntur in Constitutionibus praefationes, introductiones, prooemia, notitiae historicae, litterae hortatoriae, vel laudatoriae, exceptis decretis laudis et approbationis a Sancta Sede concessis. 27. Excludendae sunt citationes textuum Sacrae Scripturae, Conciliorum, sanctorum Patrum, theologorum, et quorumvis librorum vel auctorum. 28. Citationes dispositionum sive peculiaris directorii, sive privati

normas recenter editas statim sequi voluisse videntur, ne hac in re labores dupliciter eis faciendi essent. Tamen haec spes, ut decursū temporis apparuit, erat vana.

Sed thema, quod inter illud capitulum generale maxime disputabatur atque diutissime tractabatur, erat «Appendix Missionis», cum regulis condicionibusque ibi constituendis nervus rerum, id est coniunctio inter vitam monasticam et opus missionarium, tangeretur.¹⁶ Disputationes autem de hōc themate non ita faciles fore iam exspectandum erat ex rei perceptionibus diversimodis, quas abbas Norbertus Weber et novus episcopus Vicariusque Apostolicus Thomas Spreiter hac in quaestione habebant et quae non ita congruebant. Nam abbas superiorque generalis unā ex parte veram vitam monasticam cum omnibus circumstantiis condicionibusque in regione quōque missionariā institui voluit, ex quā re bonum effectum in ipsam missionem exseri putavit, alterā ex parte Thomas Spreiter condicionem illo tempore exstantem, id est stationes cum cellis dependentibus, ergo quadamtenus systema paroecialis, nullo modo mutari voluit. Indoles vero episcopi non erat

caerimonialis aut manualis, sive cuiuscumque codicis consuetudinum vel usuum Instituti in Constitutionum textu non admittuntur; ne forte per hanc admissionem praefati libri aut codices approbati videantur. Ceterum huiusmodi libros ad S. Congregationem mittere expedit, ut de eis opportune cognoscere possit. 29. Sermo ne fiat de legibus civilibus, de ordinationibus magistratuum civilium, de approbatione gubernii et similibus. 30. Excludantur ea, quae respiciunt munera et officia episcoporum et confessoriorum; pro his enim non scribuntur Constitutiones, sed pro religiosis. Nec suum habent locum in Constitutionibus ordo studiorum et normae vivendi pro alumnis, nec minute descripta horaria actuum diei pro domibus et operibus Instituti. 31. Expungantur quaestiones theologicae dogmaticae vel moralis, decisiones doctrinarum controversarum, praesertim in materia votorum. [...] 33. Locum suum non habent in Constitutionibus instructiones asceticae, exhortationes spirituales ex professo, et mysticae considerationes; quae omnia aptius pertractantur in libris asceticis. Porro Constitutiones debent tantum leges constitutivas Congregationis et directivas actuum communitatis, sive quod ad gubernium attinet, sive quod ad disciplinam et normam vitae. 34. Excludantur etiam minutissimae quaelibet praescriptiones circa secundaria et infima officia, quae respiciunt culinam, valedinarium, vestimentorum curam etc.: istae enim gravitatem textus Constitutionum a Sancta Sede Apostolica approbandarum minime decent.» - Textus originaliter Latinus. - Cfr etiam breviter Viktor DAMMERTZ: Leitgedanken. In: Leuchter I (1979), pp. 360 sq.; Godfrey SIEBER (1992), p. 154.

¹⁶ De his consultationibus earumque effectū cfr Godfrey SIEBER (1992), pp. 154 sq., p. 188; Johannes MAHR (2003), p. 121; Johannes MAHR (2009), pp. 58 sqq.

talis, quā alias opiniones ac propriam libenter passus est.¹⁷ Non ergo erat mirandum, quod de «Appendice Missionis» diu disputatum est.

Tamen textus «Appendicis» inter capitulum generale exaratus est, qui deinde unā cum decretis typis impressus est.¹⁸ «Appendix» autem ex duodecim capitulis constat, quibus agitur de variis aspectibus vitae atque laborum in regione missionariā, de operibus missionis et de officiis iuribusque eorum, qui rei praepositi erant.

Sed textum paulo diligentius spectemus. Primo capitulo scopus missionarius totius Congregationis et structurae provisae indicantur. Hic vero textus maximā ex parte omnino congruit cum primo capitulo «Appendicis Missionis» anni 1902ⁱ.¹⁹ Differentia tamen est in eo, quod in «Appendice» anni 1906ⁱ non iam generaliter de monasteriis in regione missionariā condendis

¹⁷ Johannes MAHR (2009), p. 58 hōc in conexū recte monet Thomam Spreiter, quia ad primos pertinuerat, qui monasterio Ottiliensi se adiunxerant (anno 1888^o idem vota protulerat, Norbertus Weber demum anno 1896^o) et adhuc cum P.re Andrea Amrhein cooperatus erat, putavisse sibi auctoritatem in iuniores exserere licere et eum propter mores rusticos atque sensum praestantiae ubique se inseruisse. Johannes MAHR (2009), p. 58 eodem loco putat dissensiones atque aversiones inter Thomam Spreiter et Norbertum Weber, quae per plurimos annos atque pluribus in conexibus animadvertuntur, illo tempore secundi capituli generalis originem suam sumpsisse. Tamen ipsa puto illas aversiones, quae verisimiliter maiore ex parte ab Thoma Spreiter provēnērunt, iam antea exstitisse, ut ex. gr. ex eventis ante primum iter Africanum Norberti Weber apparet (*cf.* supra cap. 4.3.1). Suspiciandum praeterea est Thomam Spreiter iam anno 1902^o non ita bene recepisse, quod Norbertus Weber abbas electus est neque ipse. - Ceterum hōc in conexū secundi capituli generalis Johannes MAHR (2003), p. 123 et Johannes MAHR (2009), p. 58 asseverat propter refragationem Thomae Spreiter relationem, quam Norbertus Weber de visitatione Africanā anni 1905ⁱ factā scripserat, modificandam fuisse et eā de causā eandem nimis retardatam denique mense Decembri a. 1906ⁱ exhibitam esse. Sed haec interpretatio praeter alia non congruit cum epistulā Congregationis de Propaganda Fide die 30^o m. Mart. a. 1906^o ad Norbertum Weber missā (ASO, Dar-es-Salaam 3 (Z.1.03), quā modo laudativo de illā relatione visitationis agitur.

¹⁸ Textūs decretorum atque «Appendix» die 13^o m. Iul. a. 1906^o Romam missi erant, ubi Congregatio de Propaganda Fide quibusdam minutiis adnotatis eos comprobavit. - *Cfr.* epistula Cardinalis Hieronymi [*Girolamo*] Gotti die 11^o m. Sept. a. 1906^o ad Norbertum Weber data (ASO, A.2.1.1).

¹⁹ *Cfr.* Appendix Missionis ad Constitutiones Congregationis O.S.B. pro Missionibus exteris auctoritate Primi Capituli generalis edita (1902), pp. 1 sq. (ASO, K.3.1). - De hōc «Appendice» *cf.* supra cap. 3.4.2.2.

neque omnino de cellis sermo est, sed ibīdem leguntur haec:²⁰ «*Consociatio [...] ibi domos Ordinis religiosi condit, quae, ut indolem Benedictinam iam ex nomine demonstrent, iam in initio Prioratūs appellentur. Superior titulo Prioris nominatur. Tales Prioratūs, qui primo Prioratūs simplices sunt, Prioratūs sui iuris et abbatiae fieri possunt, cum condiciones canonicae hoc ferunt.*»²¹

Magni momenti certe sunt capitula secundum et tertium, quibus iura officiaque superioris regionis missionariae atque superioris generalis Congregationis indicantur exhibenturque. Brevius capitulum tertium,²² quo agitur de superiore generali est īdem ac in «Appendice» anni 1902ⁱ, praeter sententiam quintam, quae anno 1906^o omittitur et quae fuerat haec:²³ Ius est «*statuere Delegatum ad regularem custodiendam disciplinam et ad procurandas in Missione res monasticas.*»

Longius autem est capitulum secundum, quo de superiore regionis missionariae agitur.²⁴ Hōc capitulum in comparatione textūs anni 1902ⁱ paulo aliter dispositum atque aliquatenus auctum est, imprimis ibi, ubi de vicegerentibus superioris missionarii providetur. Sed etiam quaedam alia sunt commemoranda. Etiamsi in «Appendice Missionis» anni 1902ⁱ Vicario (sive Praefecto) Apostolico ius attribuitur, quo ei licet missionarios secundum indigentiam atque necessitatem ex uno loco ad alium transferre, tale ius anno 1906^o confirmatur, sed mirum in modum etiam in Priores extenditur, quamquam Vicarius obligabatur, ut hac in re, quantum fieri potest, postulatum stabilita-

²⁰ *Cfr* Missions-Appendix für die Missionen der Kongregation von St. Ottilien. Herausgegeben durch das zweite General-Kapitel der Kongregation von St. Ottilien und bestätigt von der hl. Congregatio de Propaganda Fide durch Dekret vom 11. September 1906, Cap. I, p. 17 (ASO, K.3.1). - Textus originaliter Theodiscus. - *Cfr* etiam eiusdem capituli generalis decretum XIII, p. 13 (ASO, K.3.1), ubi quōque legitur ex voluntate capituli generalis superiores singularum stationum missionariarum in futurum Priores appellari.

²¹ Godfrey SIEBER (1992), p. 155 scribit hanc cogitationem, quā statim Prioratūs instituerentur, fieri potuisse, quia illo tempore numerus monachorum Ottiliensium valde crevit. Certe īdem non falso iudicavit, tamen hac in re etiam generalis perceptio missionaria Norberti Weber respicienda est.

²² *Cfr* Missions-Appendix (1906), cap. III, pp. 24 sq. (ASO, K.3.1). - Locus autem huius capituli mutatus est, cum anno 1902^o esset capitulum secundum.

²³ *Cfr* Appendix Missionis (1902), cap. II/5, p. 4 (ASO, K.3.1). - Textus originaliter Latinus.

²⁴ *Cfr* Missions-Appendix (1906), cap. II, pp. 18 sqq. (ASO, K.3.1).

tis respiceret atque observaret.²⁵ Tamen locutio, quae est «causae magni momenti» vel «maior usus missionis», hōc in conexū Vicario omnes possibilitates praebet, quas ipse vult.²⁶

Tamen etiam status Vicarii sive Praefecti Apostolici eiusque relatio ad superiorem generalem definiebantur. Iam in initio huius capituli secundi expressis verbis legitur superiorem regionis missionariae statum triplicem habere, nempe percipitur ut superior ecclesiasticus, ut superior monasticus, cum sit delegatus monasticus abbatis, et ut sodalis Congregationis Ottiliensis.²⁷ Specialiter autem paulo post haec relatio explicabatur, cum dicerentur haec:²⁸ «*Superiores regionum missionariorum (etiam Vicarii Apostolici) Congregationis nostrae similiter ac reliqui missionarii manent sodales Congregationis et quoad vota atque totam vitam monasticam se Sanctae Regulae atque Constitutionibus obligatos esse sciunt.*» Continuatur vero textus confirmans etiam superiores missionis manere filios Congregationis et hunc in modum filios quōque spiritales superioris generalis, quocum omni reverentiā atque caritate eis agendum est.²⁹ Scitū autem dignum est hōc locō sententiam, quae in «Appendice Missionis» anni 1902ⁱ adhuc legitur et quae est «*quoad monastica debitam oboedientiam praestabunt*»,³⁰ non iam inveniri. Tamen novus textus eodem loco auctus est dicens superiores missionis statū suo ita uti debere, ut unitatem atque artam coniunctionem totius Congregationis, cuius caput atque pater est superior generalis, promoverent.³¹

Tamen ex illo triplici statū superiorum missionis mihi etiam problema quod-

²⁵ Cfr Missions-Appendix (1906), cap. II, p. 21 (ASO, K.3.1).

²⁶ Alia mutatio in textum anni 1906ⁱ inserta est, quae non est nullius momenti et singula iura clarius reddit. Nam - sicuti iam anno 1902^o - legitur Vicario missionarium in patriam ad tempus remittere licere. Textus autem hōc locō amplificatur et dicitur etiam superiori generali missionarium ad tempus in patriam revocare licere. Ut talis missionarius definitive ex regione missionariā amoveatur, tamen consensum inter Vicarium atque superiorem generalem necessarium esse. - Cfr Missions-Appendix (1906), cap. II, p. 19 (ASO, K.3.1).

²⁷ Cfr Missions-Appendix (1906), cap. II, p. 18 (ASO, K.3.1). - Haec enumeratio succincta in «Appendice Missionis» anni 1902ⁱ nondum invenitur.

²⁸ Cfr Missions-Appendix (1906), cap. II, p. 22 (ASO, K.3.1). - Verba originaliter Theodisca. - Haec vero sententia cum «Appendice Missionis» anni 1902ⁱ congruit.

²⁹ Cfr Missions-Appendix (1906), cap. II, pp. 22 sq. (ASO, K.3.1).

³⁰ Cfr Missions-Appendix (1902), cap. III, p. 11 (ASO, K.3.1). - Textus originaliter Latinus.

³¹ Cfr Missions-Appendix (1906), cap. II, p. 23 (ASO, K.3.1).

dam exoriri videtur. Cum iidem enim, quamvis sint superiores ecclesiastici, maneant monachi Congregationis, nihilominus in rebus monasticis oboedientiam erga abbatem superioremque generalem servare debent. Tali duplicitate, ut ita dicam, generaliter difficultas inest, quia Vicarius Apostolicus unā ex parte responsalitem erga Vaticanum habet, sed alterā ex parte etiam missionarios sub aspectū quōque monastico ducit.³² Sed difficultas imprimis tunc emanare potest, cum quaedam indoles Vicarii sive Praefecti ad oboedientiam non est ita inclinata.³³

Magni autem momenti est capitulum nonum, quo agitur de Prioratibus in regione missionariā erigendis.³⁴ Ibīdem enim manus Norberti Weber speciatim animadvertitur. Nam illo in conexū thema tractatur, quod abbati erat maxime cordi, id est quaestio, quomodo vita monastica missionariorum instituenda sit. Significans iam est sententia introductoria huius capituli, quā legitur, «*cum principiis fundamentalibus Sancti ordinis fideliter tenendis opera missionarii atque effectūs promoveantur, itaque in regionibus quōque missionariis Benedictinas normas venerabiles probatasque servandas esse*».³⁵ Est autem opinio, quam Norbertus Weber iterum iterumque protulerat³⁶ et quā significare voluit missionem Ottilianam tantummodo fieri posse aut sub fundamentis Benedictinis monasticisque aut omnino non. Itaque hōc in capitulō singula principia, id est principium familiae, principium stabilitatis, principium precum communium in choro atque principium oboedientiae iterum enumerantur explicanturque. Quod autem hac in quaestione dissensio erat cum episcopo Thoma Spreiter, qui systemati paroeciali singularum stationum minorum magis favit, erat manifestum.

Haec nunc de statutis «Appendicis Missionis» hactenus. Capitulo autem

³² Tamen superiori generali Congregationis ius est, quo visitationem in regione missionariā exhibet, quod attinet ad disciplinam monasticam, et quo monitis atque consiliis in opera missionaria se inserere potest (*cf.* Missions-Appendix (1906), cap. III, p. 24 (ASO, K.3.1). - Hōc problema statūs Vicarii Apostolici similiter diiudicat Johannes MAHR (2003), p. 121.

³³ Singula puncta, quae erga superiorem generalem observare obligatus est Vicarius sive Praefectus Apostolicus, sunt eadem ac in «Appendice Missionis» anni 1902ⁱ. - *Cfr.* Appendix Missionis (1902), cap. III, pp. 12 sq. (ASO, K.3.1) et Missions-Appendix (1906), cap. II, p. 23 (ASO, K.3.1).

³⁴ *Cfr.* Missions-Appendix (1906), cap. IX, pp. 33 sqq. (ASO, K.3.1).

³⁵ *Cfr.* Missions-Appendix (1906), cap. IX, p. 33 (ASO, K.3.1). - Textus originaliter Theodiscus.

³⁶ *Cfr.* supra cap. 4.4.

generali die 2^o m. Maii a. 1906^o finito textūs decretorum atque «Appendicis» ad Congregationem de Propaganda Fide missi sunt, ubi die 9^o m. Sept. a. 1906^o comprobati sunt his verbis: «*Porro firmo manente Rev. Tuae officio exhibendi suo tempore huic S. Congregationi schema Constitutionum a S. Sede approbandarum, interim Decreta memorata tamquam provisoriam lex ab omnibus religiose observabuntur.*»³⁷

4.5.1.2. De tertio capitulo generali anni 1913ⁱ deque Constitutionibus

Cum tertium capitulum generale artē cohaereat cum secundo, opportunum esse videtur hōc in conexū statim in eundem incumbere, etiamsi spatio temporis interea interposito alia quōque evēnērunt factaque sunt, quae non erant nullius momenti.

Ad tertium capitulum generale praeparandum satis mature ad varias domos Congregationis nuntii de futuro conventū mittebantur unā cum rogatione, ut proposita communicarentur, de quibus in capitulo disputandum esset. Tamen die 24^o m. Febr. a. 1913^o abbas superiorque generalis Norbertus Weber alteram epistulam circularem ad omnes «sollemniter professos in sacris constitutos» direxit, quā eos rogavit, ut de nonnullis punctis in capitulo tractandis sententiam suam proferrent.³⁸ Ibīdem praesertim agitur de novis Constitutionibus, quae exarandae erant, de earum formā futurā atque de modo procedendi. Hōc in conexū īdem ostentavit maximas lacunas, quae prioribus in Constitutionibus inveniebantur, ad régime Congregationis spectare, quae lacunae in capitulo generali anni 1913ⁱ explendae essent. Sub aspectū totius historiae Congregationis scitū vere dignum est Norbertum Weber eodem loco quaestionem posuisse, num possibile atque bonum esset abbatem monasterii Ottiliensis atque superiorem generalem Congregationis esse eandem personam, id est eum duo munera insimul explere.³⁹ Ipse autem Norbertus Weber putavit illa duo munera seiungenda et in duas personas distribuenda esse. Argumentum vero huius opinionis erat in eo, quod ex experiētiā decem annorum ipse animadvertit haec duo munera - utrumque in se iam amplissimum - saepe inter se collidere atque imprimis officia

³⁷ Epistula Cardinalis Hieronymi Gotti die 9^o m. Sept. a. 1906^o ad Norbertum Weber data (ASO, A.2.1.1). - Textus originaliter Latinus.

³⁸ *Cfr* Exposé über die auf dem Generalkapitel 1913 zur Verhandlung kommenden Materien (24.2.1913) (ASO, K.3.1).

³⁹ *Cfr* Exposé (24.2.1913), p. 3 (ASO, K.3.1).

muneris abbatialis sufficienter expleri non posse.⁴⁰

Praeterea Norbertus Weber illā in epistolā circulari paulo fusius nonnulla pucta tractat, quae spectant ad quaestionem missionis⁴¹ et ad quaestionem scholarum.⁴²

Ipsam autem capitulum generale instituebatur ab die 6^o m. Aug. a. 1913^o usque ad diem 27^{um} m. Sept. a. 1913^o et in abbatiā Ottiliensi locum habuit.⁴³ Capitulares aderant superiores monasteriorum Congregationis Ottiliensis atque Vicarius Apostolicus, quibus ius suffragii ferendi erat, et praeterea aderant eorum secretarii.⁴⁴ Punctum autem centrale deliberationum hac vice erant Constitutiones. Norbertus Weber spatio temporis inter secundum atque tertium capitulum generale textum praeparaverat, qui erat fundamentum consultationum.⁴⁵ Hic textus singulis in sessionibus et Latine et Theodisce

⁴⁰ Eodem loco Norbertus Weber iam proposuit, quomodo haec disiunctio fieri posset. Nam putat opportunum esse unā ex parte monachos Ottilianos abbatem suum eligere, alterā ex parte participes capituli generalis superiorem generalem eligere. - *Cfr* Exposé (24.2.1913), p. 3 (ASO, K.3.1). - Tamen Norbertus Weber etiam difficultatem exhibuit, quae spectabat ad quaestionem, ad quod spatium temporis superior generalis esset eligendus. Sed alia problemata velut bonam cooperationem omnino necessariam inter abbatem Ottiliensem atque superiorem generalem non commemorat.

⁴¹ *Cfr* Exposé (24.2.1913), pp. 3 sq (ASO, K.3.1).

⁴² *Cfr* Exposé (24.2.1913), p. 4 (ASO, K.3.1). - Quaedam alia puncta idem brevius commemoravit.

⁴³ De tertio capitulo generali *cfr* imprimis Godfrey SIEBER (1992), pp. 155 sq.; Viktor DAMMERTZ: Leitgedanken. In: Leuchter I (1979), pp. 361; Johannes MAHR (2003), p. 137; Cyrill SCHÄFER: Stella maris. St. Ottilien 2005, p. 90, qui per errorem diem 27^{um} m. Decembris a. 1913^o indicat finem capituli generalis.

⁴⁴ Godfrey SIEBER (1992), p. 155 scribit fuisse duodecim participes, ex quibus sex ius suffragii habuerunt. Tamen ex protocollo videtur apparere decem participes fuisse, nempe Norbertus Weber cum secretario Chrysostomo Schmid, Thomas Spreiter cum secretario Villibrordo Ley, Bonifatius Sauer cum secretario Martino Malter, Placidus Vogel cum secretario Mauro Galm, Coelestinus Maier cum secretario Paulo Sauter. - *Cfr* Protokoll über die Verhandlungen beim III. Generalkapitel der Congregatio Ottiliensis O.S.B. im Jahre 1913, p. 1 (ASO, K.3.1).

⁴⁵ Provisum quidem erat, ut novus textus Constitutionum semianno ante capitulum generale ad omnes participes futuros mitteretur, quod tamen factum non esse videtur. Nam aliter praelectio textūs in singulis sessionibus non fuisset necessaria. Praeterea in protocollo legitur in abbatis conclavi locutorio exemplar textūs exhiberi, ita ut capitulares in pausis inter sessiones eum inspicere possent. Etiam hoc non fuisset necessarium, si singuli participes textum in antecessum habuissent. - *Cfr* Protokoll GK 1913, 4. Sitzung (9.8.1913), p. 10 (ASO, K.3.1).

praelegebatur atque deinde singillatim de eo disputabatur, idem mutabatur, quantum necessarium videbatur atque deinde per partes comprobabatur.⁴⁶ Scopus autem generaliter erat in eo, ut Constitutiones exorirentur, quae ita compositae essent, ut totā in Congregatione eis obtemperari posset atque eas in futurum quam minime mutari deberent.⁴⁷

Sed decursū disputationum de aliis quoque quaestionibus disputatum est, quae tamen cum Constitutionibus cohaerebant, cum de thematis ageretur, de quibus in Constitutionibus instructiones fierent. Sic ex. gr. tractabatur quaestio scholarum, agebatur de Africanā regione missionariā dividendā, constituebatur bona Ordinis atque missionis esse separanda,⁴⁸ de novis fundationibus faciendis disputatum est, et sic porro. Sed alicuius momenti etiam est Norbertum Weber illam quaestionem, quam in epistolā circulari iam exposuerat, denuo suscepisse, nempe propositum, quo munera abbatis atque superioris generalis separarentur. Tamen reliqui capitulares huic proposito non faverunt idemque recusaverunt.⁴⁹

Punctum autem centrale capituli generalis revera ad effectum adductum est. Itaque in fine capituli novae Constitutiones exaratae erant. In comparatione autem priorum textuum multa mutata erant, et quod attinet ad formam et quod attinet ad argumenta. Imprimis magni momenti erat «Appendicem missionis», id est textum separatum, quo omnia, quae ad missionem specta-

⁴⁶ Bonifatio Sauer atque Placido Vogel impositum est, ut Constitutionum textum Latinum redigerent, et Villibrordus Ley atque Chrysostomus Schmid illum textum Latinum in linguam Theodiscam vertere debuerunt. - *Cfr* Protokoll GK 1913, 4. Sitzung (9.8.1913), p. 10 (ASO, K.3.1).

⁴⁷ *Cfr* Protokoll GK 1913, 1. Sitzung (31.7.1913), p. 4 (ASO, K.3.1).

⁴⁸ *Cfr* Protokoll GK 1913, 12. Sitzung (22.8.1913), p. 14 (ASO, K.3.1). - Hunc in modum capitulares casum provideri voluerunt, quo aliquando fortasse regio quaedam missionaria, quae ad Congregationem Ottiliensem pertinebat, alii Ordini religioso vel alii consociationi traderetur.

Hōc in conexū etiam commemorandum est in capitulo generali disputatum quoque esse de pecuniā variis sub titulis pro missione acceptā et de quaestione, quomodo illa pecunia inter domum maternam et regiones missionarias distribuenda esset (*cfr* Protokoll GK 1913, 20. Sitzung (2.9.1913), p. 17 (ASO, K.3.1)). Ex hac disputatione exortus est contractus eodem die ab Norberto Weber, Thoma Spreiter atque Bonifatio Sauer subscriptum, quo de pecunia distribuenda exacte atque singillatim disponebatur (*cfr* Vertrag 2.9.1913 (ASO, K.3.1)).

⁴⁹ *Cfr* Protokoll GK 1913, 15. Sitzung (26.8.1913), p. 15 (ASO, K.3.1). - Haec quaestio decursū annorum iterum iterumque exhibita est et nunc temporis demum, id est circiter centum annis post, soluta est.

bant, specialiter tractabantur, in futurum non iam exstaturam esse, sed omnes aspectūs missionarios in ipsum textum Constitutionum inserendos esse.⁵⁰ Tamen hic modus progrediendi non solum erat formalis, sed eodem significabatur etiam omnia, quae ad vitam missionariam pertinebant, inseparabiliter coniuncta esse cum monasticā vitā Benedictinā, id est omnes Congregationis missionarios in regionibus exteris operantes esse monachos Benedictinos et vice versā omnes monachos in patriā degentes quōque esse missionarios, cum opera missionaria sustentarent. Itaque in primā declaratione Constitutionum iam leguntur haec:⁵¹ «*Qui quidem spiritus (sc. monasticus), cum sit non minus summa vitae monasticae quam fundamentum omnis etiam vitae apostolicae vere benedictae, omnia, quae de eo Patriarcha praescripsit, ad verbum observanda declaramus, ut Congregationi nostrae, non obstantibus Apostolatūs laboribus eidem in terris ethnicis a S. Ecclesia commissis, licet nonnulla quoad exterioris vitae formam, tamen nihil desit quoad spiritum Regulae S. Benedicti.*»

Praeterea textus Constitutionum non systematice ordinatus est, sed Regulam Sancti Benedicti sequitur eiusdemque capitula adhibebantur, ut in quinquaginta quattuor capitulis nonaginta tribus declarationibus necessaria explicarentur.⁵² Magni etiam momenti erat, quod Constitutionum declaratio-

⁵⁰ De momento huius modi progrediendi *cf.* Vikotr DAMMERTZ: Leitgedanken. In: Leuchter I (21979), p. 361; Godfrey SIEBER (1992), pp. 156 sq.; Johannes MAHR (2003), p. 137.

⁵¹ Constitutiones Congregationis Ottiliensis O.S.B. pro missionibus exteris in capitulo generali de anno 1913 editae, Prologus, Decl. 1, p. 1 (ASO, K.1.1.). - Textus originaliter Latinus. - Hōc in conexū etiam percipiendae sunt ex declaratione secundā sententiae hae: «*Ex hac S. Ecclesiae vocatione elucet et monachos eorum monasteriorum, quae in regionibus Christianis ad efformandos missionarios exstructa sunt, esse eosdem missionarios et illos Congregationis nostrae missionarios, qui in regionibus ethnicis laborant, non nisi monachos Benedictinos huic operi inservire posse.*» (Constitutiones 1913, Decl. 2, p. 4 (ASO, K.1.1) et «*In Missionibus vero omnes omni tempore ante oculos habeant se ius amisisse collaborandi in gentium conversione, simulatque more Benedictino laborare omiserunt, quippe quos S. Ecclesia tamquam monachos missionarios in messem Christi miserit.*» (Constitutiones 1913, Decl. 2, p. 4 (ASO, K.1.1). - Textus originaliter Latinus.

⁵² *Cfr.* Protokoll GK 1913, 4. Sitzung (9.8.1913), p. 10 (ASO, K.3.1). - Tamen non omnia capitula Regulae Sancti Benedicti assumpta sunt, sed quaedam sunt omissa, ita ut Constitutiones anni 1913ⁱ in summa quinquaginta quattuor capitula haberent, cum Regula ex septuaginta tribus capitulis constaret. Nihilominus in Constitutionibus numeri capitulorum congruunt cum numeris capitulorum in Regula, ut themata tractata

nibus imprimis aspectūs iuridici vitae monasticae exhibebantur atque explicabantur,⁵³ aspectūs vero spirituales asceticique in textum specialem recipiebantur, qui «Monita Paterna» appellabatur.

Sed spectemus breviter solum quasdam declarationes, quae ad structuram totius Congregationis pertinent. In initio scilicet statim scopus Congregationis indicatur atque ea confirmantur, quae inde sequuntur. Itaque leguntur haec:⁵⁴ «*Quare a monasteriis Congregationis Ottiliensis nullum opus suscipi fas est, quod non cum scopo Congregationis, i.e. Missionibus exteris concordet, et ea tantum haec monasteria aggredientur et perficient opera, quae sive ad evocandos et efformandos monachos-missionarios sive ad parandam sustentationem spectant.*» Cum autem missionarii quōque sint monachi Benedictini atque «*forma Benedictina semper teneatur*», Congregatio Ottiliensis in regionibus missionariis tantummodo abbatias vel prioratūs condit vel abbatias nullius erigit.⁵⁵

Cum res scholares in Congregatione Ottiliensi fuerint maximi momenti, de eis in capitulo speciali Constitutionum agitur. Duo autem genera seminariorum sive scholarum exstant, quae similiter respicienda sunt, nempe seminaria, quibus in patriā futuri monachi-missionarii erudiuntur, et scholae, quibus in regionibus missionariis liberi indigenae instituuntur. «*Quae Seminaria, in quibus posita est tota virtus futura Congregationis, maxima Archiabbas omnesque Superiores cura amplectuntur et omnes fratres ad officium educandae prolis nostrae deputati religiosa pietate, pura scientia, arte paedagogica hoc munere fungantur.*»⁵⁶ - Seminaria autem - et hōc quōque est scitū dignum - sunt «*bonum commune totius Congregationis*», quā de causā nihil

et in superscriptione indicata sub eodem numero inveniantur.

⁵³ Ut Constitutiones hunc in modum componerentur, iam in capitulo generali anni 1906ⁱ decernebatur.

⁵⁴ Constitutiones 1913, Cap. I, Decl. 2, p. 3 (ASO, K.1.1). - Textus originaliter Latinus. - Explicatur autem, si monasterium quoddam opus novum, quod non omnino directe cum scopo missionario cohaeret, suscipere vult, capitulum generale vel capitulum ad instar vel, si res est urgens, archiabbas adiri debere.

⁵⁵ *Cfr* Constitutiones 1913, Cap. I, Decl. 3, p. 5 (ASO, K.1.1). - Tamen etiam providetur condicio, quā missionarii in cellas, id est in stationes minores, distribuendi sunt. Quae condicio quōque singillatim quoad rem ordinandam respicitur.

⁵⁶ Constitutiones 1913, Cap. XXX, Decl. 21, p. 28 (ASO, K.1.1). - Textus originaliter Latinus.

mutari licet sine licentiā sive superiorum sive regiminis Congregationis.⁵⁷

Longissimum autem est capitulum sexagesimum quartum, quod ex tribus declarationibus constat et quo de structurā Congregationis agitur. Eiusdem declaratione undeoctogesimā in singulas partes aspectūsque regiminis Congregationis inquiritur. Haec vero declaratio subdivisa est in incisa haec: A. De Archiabbate, B. De visitatione, C. De Capitulo generali, D. De Superioribus Missionis, E. De Superiore regulari, F. De Missionum Procuratoribus. - Ceterum fortasse paululum mirandum est, quod his in Constitutionibus passim iam sermo fit de archiabbate, cum anno 1913^o archiabbas Ottiliensis nondum exstiterit.⁵⁸ Tamen videtur illo tempore praevideri potuisse hunc eventum, quo monasterium Ottiliense erigitur archiabbatia, aliquando futurum esse. Quā de causā effectus iam in antecessum in Constitutiones receptus est, ne eadem nimis celeriter iterum mutandae essent.

Itaque, postquam condicio abbatiarum ad Congregationem Ottiliensem pertinentium descriptum est,⁵⁹ de archiabbate eiusque statu generaliter dicuntur haec:⁶⁰ *«Ut singula Congregationis coenobia ex Abbatia matre Ottiliensi nata inter se arctissimo vinculo unita permaneant, Archiabbas monasterii Ottiliensis caput natum est totius Congregationis servata autonomia et responsibilitate cum singulorum Abbatum (Priorum conventualium) tum Superiorum ecclesiasticorum in Missione. Archiabbas in tota Congregatione*

⁵⁷ Cfr Constitutiones 1913, Cap. XXX, Decl. 21, pp. 28 sq. (ASO, K.1.1): *«Cum haec Seminaria sint bonum commune totius Congregationis, nulli Superiorum licet quidquam maioris momenti innovare inaudito Archiabbate. Nulli domui nec unius quidem anni cursum addere licet sine permissu Capituli generalis vel casu urgente Archiabbatis. Rector scholae omnesque, qui in Seminario cooperantur, sicut ceteri officiales monasterii instituuntur a Superiore locali, penes quem omnis est responsalitas et coram Congregatione et coram Gubernio. Alumni neque recipiantur neque dimittantur nisi cum consensu Superioris localis. Singulis mensibus Rector et Regens Seminarium de statu et progressu Alumnorum ad Superiorem localem referunt, qui Superior elapso anni cursu Archiabbati relationem facit.»* - Textus originaliter Latinus.

⁵⁸ Similiter in protocollo capituli generalis anni 1913ⁱ.

⁵⁹ Cfr Constitutiones 1913, Cap. LXIV, Decl. 79, pp. 92 sq. (ASO, K.1.1): *«Unaquaeque Congregationis Ottiliensis Abbatia cum venia S. Sedis canonice erecta Abbatem suum habet perpetuum, penes quem universa est administratio tam in rebus temporalibus quam in spiritualibus; suos porro habet monachos votorum professione monasterio affixos, suum denique novitiatum, ita ut novelli monachi religiosae familiae inolescant.»* - Textus originaliter Latinus.

⁶⁰ Constitutiones 1913, Cap. LXIV, Decl. 79, p. 93 (ASO, K.1.1). - Textus originaliter Latinus.

quasi Pater inter Abbates ceterosque Congregationis nostrae Superiores perpetuam habet praeeminentiam.»

Eius officia iuraque describuntur hunc in modum:⁶¹ *«Legitimus custos et vindex S. Regulae ac Constitutionum degens in aliquo monasterio Congregationis ut Visitator regularis per Visitationis tempus utitur iurisdictione in hac domo tam in foro externo quam interno. Eius est Capitulum generale convocare, electionibus Abbatum praeesse electumque vice S. Sedis confirmare, coenobia visitare tam in Europa quam in Missione, appellationes recipere, iudicia ferre, bonum totius Congregationis omni cura promovere.»*

- Praeterea solum ei est ius cum Sancta Sede agendi de rebus Congregationis, similiter idem sive de novā fundatione instituendā sive de domo fundatā relinquendā dissolvendāque est interrogandus.⁶² Porro praeter alia archiabbas in missionariis emittendis et revocandis ius dicendi habet. Denique Sanctae Sedi proponit illos ex monachis suis, quos episcopos, Vicarios sive Praefectos Apostolicos fore esse dignos putat.⁶³ Inter praestantissima autem officia archiabbatis numerandae sunt visitationes canonicae, quas saltem tertio quōque annō in monasteriis et Europaeis et extraneis exhibet.⁶⁴ Tamen cum ad observantiam unumquodque monasterium Congregationis pertineret, huiusmodi visitatio etiam in ipsā abbatia Ottiliensi, id est in domo matrīce, necessaria erat. De hac re vero leguntur haec:⁶⁵ *«Ipsam vero Archicoenobium visitatur a supra memoratis Abbatibus Assistentibus, quorum si alteruter gravi impedimento impediatur, alii Abbati vices suas committat.»* Itaque illi abbates assistentes non solum sub aspectu, quo archiabbati auxilium in consiliis capiendis atque eisdem ad effectum adducendis ferunt, spectandi sunt, sed etiam quod attinet ad structuram regularem Congregationis sunt alicuius momenti.

Quaedam vero etiam de Superioribus missionis dicenda sunt. Leguntur

⁶¹ Constitutiones 1913, Cap. LXIV, Decl. 79, pp. 93 sq. (ASO, K.1.1). - Textus originaliter Latinus.

⁶² Similiter Constitutiones 1913, Cap. LXIV, Decl. 79, p. 107 (ASO, K.1.1).

⁶³ *Cfr* Constitutiones 1913, Cap. LXIV, Decl. 79, pp. 94 sq. (ASO, K.1.1).

⁶⁴ *Cfr* Constitutiones 1913, Cap. LXIV, Decl. 79, pp. 97 sq. (ASO, K.1.1). - Singula, quae ad hoc officium pertinent, pp. 99-101 explicantur. - Ceterum p. 96 legitur duos abbates assistentes ab capitularibus capituli generalis eligi, qui archiabbati in muneribus suis exanclandis auxilium ferunt.

⁶⁵ *Cfr* Constitutiones 1913, Cap. LXIV, Decl. 79, p. 98 (ASO, K.1.1). - Textus originaliter Latinus.

autem in Constitutionibus haec:⁶⁶ «*Superiores ecclesiastici Missionis sunt aut Episcopi, Vicarii (Praefecti) Apostolici aut Abbates nullius. Hi omnes (quamvis ut monachi Sodales sint Congregationis nostrae) qua missionarii i.e. quoad ministerium Apostolicum a S. Sede acceptum eidem immediate subsunt. Episcopi et Vicarii Apostolici dignitate Episcopali accepta, cum sodales Congregationis nostrae permaneant (nec vero capitulares sui Monasterii), submissi remanent S. Regulae ac Constitutionibus.*» Hac in re iterum illa difficultas statūs duplicis apparet, quam iam supra commemoravimus.

Sed singula officia iuraque superiorum missionis hōc in conexū Constitutionum etiam enumerantur, inter quae ius quōque, quo Vicarii visitationem missionis exhibent «*et quoad opus et quoad missionarios*», cum sint superiores ecclesiastici.⁶⁷ Itaque etiam omnibus rebus praesunt, quae ad ipsam missionem regionemque missionariam spectant, nisi iura archiabbatis obstant. Cum autem de quibusdam dissensionibus imprimis inter Norbertum Weber superiorem generalem et Thomam Spreiter episcopum cogitemus, iucunda est sententia haec:⁶⁸ «*Si quas habent difficultates (sc. superiores missionis) fidenter ad Archiabbatem recurrant et, quae suadebit, libenter faciant.*»

Denique commemorandum est munus superioris regularis, qui dicitur. Īdem enim, qui antea delegatus monasticus appellabatur, in regionibus missionariis vitam monasticam missionariorum invigilat atque diiudicat, num regulas bene observent. Talis vero superior regularis ab archiabbate instituitur et «*in omnibus Archiabbatis vices gerit, quae non expressis statutis ipsi Archiabbati sint reservata.*»⁶⁹ Mos autem est, quo archiabbas sive superior generalis munus superioris regularis superioribus ecclesiasticis, qui ex Congregatione Ottiliensi exoriundi sunt, tradere solet.⁷⁰ Tamen iidem saltem tertio quōque anno singulas domos atque earum monachos visitare et reces-

⁶⁶ Constitutiones 1913, Cap. LXIV, Decl. 79, pp. 105 sq. (ASO, K.1.1). - Textus originaliter Latinus.

⁶⁷ Constitutiones 1913, Cap. LXIV, Decl. 79, p. 107 (ASO, K.1.1).

⁶⁸ Constitutiones 1913, Cap. LXIV, Decl. 79, p. 106 (ASO, K.1.1). - Textus originaliter Latinus.

⁶⁹ Constitutiones 1913, Cap. LXIV, Decl. 79, p. 110 (ASO, K.1.1). - Textus originaliter Latinus. - De hac re *cf.* etiam Cap. I. Decl. 3, p. 5.

⁷⁰ *Cf.* Constitutiones 1913, Cap. LXIV, Decl. 79, p. 111 (ASO, K.1.1).

sum huius visitationis archiabbati mittere obligati sunt.⁷¹

Quamquam de regulis normisque in Constitutionibus exhibitis plura dici possunt, ex. gr. quod attinet ad bona Congregationis administranda, ad instructionem atque modum se gerendi monachorum, ad varia munera monasterialia, velut ad munus cellerarii, et sic porro, haec pauca hōc in conexū sufficiant.

Textū Constitutionum disputato, retractato, aliquatenus mutato atque ab capitularibus probato⁷² capitulum generale ad finem vergebat. Praeter Constitutiones, quae typis imprimendae erant,⁷³ etiam edita sunt «Monita Paterna», quibus imprimis statuta quaedam Constitutionum fusius explicarentur.⁷⁴ Tamen ex auctoritate capituli generalis «Monita Paterna» exorta percipiebantur ut acta officialia eiusdem capituli, quā de causā éadem quōque oboedientiā adhibitā observanda erant.⁷⁵

Denique solum unum decretum capituli generalis exhibitum est, quo agitur de Constitutionibus publicandis atque de earum vi obligatoriā.⁷⁶ Nam ut omnes monachi Ottilienses textum Constitutionum comperirent, decreto atque «Monitis Paternis»⁷⁷ praescriptum est, ut Constitutiones omnibus in domibus Ottiliensibus meridie per partes inter lectionem mensalem praelegerentur et praeterea in conventibus unā cum «Monitis Paternis» tractarentur atque explicarentur. Expressis autem verbis affirmabatur novis Constitutionibus exhibitis, quae obligatoriam vim legis haberent, omnia priora decreta alicuius capituli generalis atque statuta prioris «Appendicis Missionis» invalida fore.⁷⁸ Novae autem Constitutiones, quas capitulares Romam ad

⁷¹ *Cfr* Constitutiones 1913, Cap. LXIV, Decl. 79, p. 111 (ASO, K.1.1).

⁷² Scitū dignum est textum Latinum Constitutionum ut textum originale haberi, sed etiam versioni Theodiscae vim auctoritativam attributam esse. - *Cfr* Monita Paterna 1913, nr 41, p. 12 (ASO, K.3.1).

⁷³ *Cfr* Protokoll GK 1913, 37. Sitzung (27.9.1913), p. 29 (ASO, K.3.1).

⁷⁴ Illa «Monita Paterna» die 27^o m. Sept. a. 1913^o edita (ASO, K.3.1) typoscriptum tredecim paginarum explent et ex quadraginta septem punctis constant, quae tamen non systematice sunt ordinata, sed quadamtenus «chronologice», id est secundum cursum disputationum, quae in capitulo generali habebantur.

⁷⁵ *Cfr* Monita Paterna 1913, p. 1 (ASO, K.3.1).

⁷⁶ *Cfr* Einziges Dekret (27.9.1913) (ASO, K.3.1).

⁷⁷ *Cfr* Monita Paterna 1913, nr 7, pp. 2 sq. (ASO, K.3.1).

⁷⁸ *Cfr* Einziges Dekret (27.9.1913) (ASO, K.3.1); Monita Paterna 1913, nr 9, p. 3 (ASO, K.3.1); Protokoll GK 1913, 37. Sitzung (27.9.1913), p. 29 (ASO, K.3.1).

approbationem definitivam nondum mittere voluerunt,⁷⁹ totā in Congregatione Ottiliensi ad experimentum instituebantur usque ad proximum capitulum generale.⁸⁰

Omnes capitulares, imprimis etiam abbas Norbertus Weber,⁸¹ satis contenti erant laboribus inter capitulum exanclatis et omnes participes capituli generalis putaverunt se textū perspicuo, succincto atque sobrio Constitutiones officiali approbatione Vaticanā dignas proposuisse. Tamen - ut videbimus - hic erat error, et quaestio Constitutionum approbandarum diutius protracta est.

SIGRIDES ALBERT

⁷⁹ *Cfr* Protokoll GK 1913, 4. Sitzung (9.8.1913), p. 10 (ASO, K.3.1).

⁸⁰ Novae Constitutiones ratae habitae sunt in Europā inde ab Kalendis Ianuariis a. 1914ⁱ, in Coreā inde ab Kalendis Februariis a. 1914ⁱ et in Africā inde ab Kalendis Maiis a. 1914ⁱ. - *Cfr* Protokoll GK 1913, 31. Sitzung (16.9.1913), pp. 22 sq. (ASO, K.3.1).

⁸¹ Norbertus Weber die 8^o m. Oct. a. 1913^o ad Fidelm von Stotzingen epistulam scripsit (ASO, Z.01), quā confessus est capitulum generale melius fuisse quam exspectaverat atque difficultates imminentes esse superatas. Nisi tota res post septem septimanas iam fuisset fatigans, eandem propter concordiam pacificam paene dici potuisse pulchram. In summa autem abbas putavit hōc capitulo generali plurimum effici potuisse in vero progressū Congregationis.